

cum eadem sacra Virgine, & Maria Magdalena, & Joanne evangelista adstitit: ubi piam matrem, discipulis eam deserentibus, non deseruit; sed calicis & mæroris sui & testis, & particeps, & consolatrix existit. Nos ergo, fratres, sive felicitium filiorum agones, sive

pias matris eorum lacrimas imitari studeamus, adversus cupiditates nostras perpetuo decertemus, quo (a) feminantes in lacrimis, in exultatione mereamus: ut sic tandem ad eorum, quorum festa recolimus, societatem, eodem Domino adspirante, pervenire mereamur.



IN F E S T O
O M N I U M S A N C T O R U M
C O N C I O P R I M A,

IN QUA DE HOMINIS BEATITUDINE,
deque itineribus, quibus ad eam pervenimus, differitur.

THE. Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in calis. Matth. V. 12.

**** Nter festos dies, quos
* I * ecclesia quorannis
* * * * * sollempni religione
* * * * * celebrandos suscipit, hic dies vel summum, vel maximum certe locum obtinere videtur. Cetera namque festa, aut singulorum sanctorum, aut singularium mysteriorum sunt: hoc autem, sub unius diei sollempnitate, sanctorum omnium festa complectitur. Ma-

gno autem Spiritus sancti consilio ecclesia hoc instituisse videtur. Primum quidem, ut quæ per socordiam & injuriam in ceteris sanctorum festis deliquimus, aut minus plene præstiterimus, hujus saltem diei ampliori devotione pensaremus; & unus dies rite celebratus aliorum omnium negligentias refarciret. Deinde, ut hoc uno die sanctorum plurimis, quibus

(a) *Psal. 125. 5.*

bus singulares dies festos decernere non vacat, debitam eorum meritis laudem & honorem hac saltem ratione impenderemus; quando aliter non possumus, quum omnes anni dies intra angusta spatia contineantur, sanctorum autem numerus vix comprehendi possit. Quam rem oculatissimus testis Joannes evangelista in Apocalypsi confirmat: qui ubi centum octoginta quattuor millia sanctorum enumerasset, quos ex singulis tribubus Israël Dominus ad æternam vitam cooptarat, subdit protinus: (a) „ post hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante „ thronum, & in conspectu agni, amicti stolis albis, & „ palmæ in manibus eorum, & „ clamabant voce magna, dicentes: salus Deo nostro, qui „ sedet super thronum, & agno. „ Ex quo plane loco illud colligere licet, quod quamvis incomparabiliter multo plures sint qui pereunt, comparatione eorum qui salvantur; est enim, ut Salvator ait, (b) *arcta via, que ducit ad vitam; lata autem & spatiosa, que du-*

cit ad perditionem: nihilominus tamen electorum turbam adeo esse magnam, ut a nemine numerari possit, Joannes hoc in loco asserat. Quin ex solis tantum martyribus tam ingens multitudo in calis coronata triumphat, ut si ecclesia omnibus illis festos dies instituere decrevisset, supra quinque millia martyrum, ut D. Hieronymus testatur, ad unumquemque diem assignare potuisset. Horum igitur laudibus, quibus dies singulos ecclesia destinare non potuit, hunc unum diem voluit esse dicatum.

Est & alia non inferior hujus sollempnitatis causa, nempe, quod hac ratione multos nobis advocatos in celo comparare voluit, quum ab illis pro impensis precibus & laudibus opem & patrocinium suppliciter implorat. Sunt quidem illi ad hoc officium præstandum propensi; qui, ut D. Augustinus ait, *de sua salute securi, de nostra solliciti sunt*. Eos namque & germana caritas, qua nos concives suos futuros prosequuntur, & hujus vitæ pericula, quæ illi evaserunt, ad nos omni ratione juvandos sollicitant: nostris tamen precibus & laudibus propensiores ad hoc

O 2 of

(a) *Apocalyp. 7. 9. 10.* (b) *Matth. 7. 13. 14.*

officium redduntur. Et quidem appropinquante hora mortis, quando post extremum illum halitum de tota aeternitate nostra ferenda sententia est, ultimum nobis ecclesia praecipit adhiberi remedium, nempe, unionis sacramentum, quod jam migraturis exhibetur. Quo etiam tempore sanctorum omnium auxilium implorat, omnesque illos velut ante superni iudicis conspectum advocatos mittit, quo periclitanti filio, & in summum discrimen adducto, opem ferant. Quod quidem illi patrocinium eo libentius suscipiunt, quo frequentius homines, citra mortis etiam & extremae necessitatis periculum, illos hoc religionis officio venerati sunt. Nota enim illa Publii sententia est: *habet in adversis auxilia, qui in secundis commodat.* Unde colligimus, obsequia illa esse gratissima, non quae necessitas violenter extorsit, sed quae spontanea pietas libenter impendit. Hac ergo de causa non hoc die solum, sed in omni vita, praecipua devotione sanctos colere & venerari debemus; ut eos, dum extrema illa necessitas incubuerit, propitios ac fideles patronos habere mereamur.

Ex multis sanctorum histo-

riis discimus, fuisse nonnullos, qui ad extremam horam venientes, ac de salute sua, propter male actae vitae conscientiam, desperantes, sanctorum hominum, qui praesentes aderant, piis lacrimis & precibus vel spatium poenitentiae, vel erratorum veniam consequuti sunt. In vita quoque B. Catharinae Senensis legimus, quod quum in sua civitate duo homines maleficiis insignes ad mortem ducerentur, & in ipso itinere ferreis forcipibus igne candentibus immanissime lacerarentur, illique, doloris magnitudine victi, rabiosis adversus Deum vocibus insanirent; sanctissima virgo, tota caritatis visceribus & misericordiae affectu inflammata, ardentissimas pro illis ad Dominum preces & lacrimas fudit: quo factum est, ut misericordiae parens, piis ejus precibus ad misericordiam flexus, facinorosis hominibus in cruce pendens appareret, eosque ad mirabilem poenitentiam, & compunctionis gratiam hac imagine provocans, aeterna tandem salute donavit. Quod si hoc animo viri sancti in alios homines extiterunt, quum in hoc corpore degerent; multo magis, cum caritate vitae in patriae caritatem commutata,

eum-

eundem erga nos benignitatis & misericordiae affectum gerent. Ut illos igitur dignis hodie honoribus & sermone celebremus, caelestem opem, sacratissimae Virginis interventu, suppliciter imploremus.

AVE MARIA.

Praesens sancti evangelii lectio octo insignes virtutes, caelestis magistri voce, singulari quadam ratione nobis commendat. Has vero communi nomine beatitudines appellamus: propterea quod ea inter ceteras virtutes viam nobis ad beatitudinem muniant; sive ad perfectam, quam in altera vita expectamus, sive ad inchoatam, quam in hac viri sancti consequuntur. Quocirca de ipsa beatitudine, deque itineribus, quibus ad illam pervenitur, de quibus praesens sancti evangelii lectio differit, hodie mihi dicendum est.

Rem igitur a prima origine reperentes, scire oportet, duas esse in homine naturales appetitiones, quae non a depravatis vel moribus vel ingeniis, sed ab ipso naturae auctore & conditore nobis inditae atque ingeneratae sunt. Altera est, immortalitatis appetitio, quam omnes homines habent, qui mortem horrent, & vitam, na-

Tom. III.

turae impulsu, diligunt. Ex hac autem appetitione, quicumque recte philosophantur, evidenter animae nostrae immortalitatem colligunt. Alias enim pessime instituta esset natura, quae homini impossibilis rei naturale desiderium indidisset; & frustra etiam contulisset, quod in nullum prorsus usum deserviret: quod in perfectissimum illum opificem, & ipsius naturae conditorem cadere nullo modo potest.

Altera vero appetitio est, qua omnes naturali propensione beatitudinem, supra omnia quae mens humana adipisci potest, desideramus. Est autem beatitudo, ut Boethius ait, *status omnium bonorum aggregatione perfectus*, eademque summum hominis bonum. Ideoque ultimus humanae vitae finis esse dicitur; quia quum huc pervenerit homo, non habet vel quo ulterius ascendere, vel quod amplius desiderare queat. Itaque sicut is, qui magna siti laborabat, ubi ad satietatem usque ebibit, non amplius sitit; neque juxta fontem positus, a qua desiderio movebitur: ita qui ad hunc statum pervenit, nullius rei desiderio laborat. Hoc autem quid aliud quam quaedam divinitatis participatio

O §

tio

rio est? Dei enim hæc tanta felicitas est. Quo quidem nomine dignitatis suæ amplitudinem intelligere homines possunt, quandoquidem ad hunc felicissimum ac plane divinum statum ab auctore naturæ conditi sunt.

Deinde illud etiam intelligere oportet, inter omnia, quæ ab humano ingenio sciri & comprehendere possunt, nihil esse ad vitam nostram recte constituendam magis necessarium, quam hunc summum & ultimum vitæ finem cognitum & exploratum habere: quandoquidem nemo vitæ actiones, nisi vitæ fine prius cognito, ad quem omnia referenda sunt, dirigere & instituere recte potest. Unde Aristoteles, bene vivendi rationem in libris ethicorum traditurus, primo loco de ultimo humanæ vitæ fine disserit. „ Ut enim, inquit ille, sagittarii signum primo intueri debent, quo recta sagittas ad illud jaciant; atque ut nauta, quem portum petat, prius debet agnoscere, ut ad illum navigationis cursum dirigat; quod idem in omnibus quoque aliis rebus, quæ arte & consilio administrantur, necessum est: ita plane quisquis recte o-

„ mnes vitæ suæ actiones, non „ vagas & temerarias, sed re- „ ctas esse cupit; vitæ finem „ ante oculos sibi proponere, „ & eo cursum dirigere debet. „ Ethicem autem, ad quam spectat, de hoc fine, & gradibus, quibus ad eum pervenitur, differere, inter præstantissimas disciplinas esse collocandam, idem auctor definit: quoniam id, quod est in hominum vita præstantissimum, considerat.

§. I.

Sed quum philosophi omnes hoc naturale beatitudinis desiderium homini tribuant; quibus tamen in rebus ea beatitudo sita sit, quamvis se in hujus rei inquisitione vehementer torserint, adeo non sunt affecti, ut nulla in re magis cæcutierint, & in varias ac pæne repugnantes opiniones distracti fuerint. Quis enim credere potuisset, quod D. Augustinus 19. de civitate Dei libro refert, nempe, ducentas supra octoginta fuisse inter philosophos de summo hominis bono opiniones, nisi idem Augustinus Marcum Varronem, disertissimum inter Romanos scriptorem, hujus rei testem citasset? Alii enim in divitiis, alii in honoribus, alii in volupta-

ti-

tibus, alii in potentia, alii in indolentia, hoc est, in doloris vacuitate, alii in varia litteratura, & maximarum rerum scientia, alii denique aliis in rebus pro suo quisque ingenio & cupiditate posuerunt. Nec philosophi modo, sed ipsi etiam homines illitterati, pro rerum suarum conditione beatitudinem metiuntur. Mendicus enim summum bonum putat esse divitias; idemque, quum æger est, sanitatem; ambitiosus, honores; impudicus, carnis voluptates; aulicus, regis gratiam & amicitiam; imperator, militarem gloriam atque victoriam. Omnes namque hi summum bonum in hisce rebus, quas sitienter appetunt, constitutum esse putant, & se beatos futuros, si eas adepti fuerint, arbitrantur.

Inter has autem tam varias hominum sententias, tres quidem ad veritatem aliquanto propius accessisse videntur. Prima Stoicorum, qui in una virtute summum hominis bonum collocaverunt: neque enim majus aliud bonum, quod homini contingere posset, invenerunt. Laudandi illi quidem sunt, qui tanti virtutem fecerunt; sed in hoc tamen decepti fuere, quod beatitudinis in-

strumenta, beatitudinem esse putaverunt: quod non minus inepte dicitur, quam si quis agricola finem in excolendis agris constitueret: est enim hoc agricolæ officium, non finis; quo officio ad uberem & plenam segetem pervenitur, quæ agricolæ finis est. Sic igitur virtus, non felicitas, sed ad felicitatem certissima via est. Alia fuit Aristotelis sententia, qui in altissimarum rerum contemplatione, quæ per scientias humanas haberi potest, felicitatem posuit: accedente tamen & bona corporis valetudine, & honesto patrimonio. Neque enim aut ægrum, aut mendicum plene beatum esse censet: quum beatus omni debeat molestia & angore carere. Quare in re, disertissimus alioqui vir, quum naturali rationis lumine aliud nihil haberet quod diceret, duplici tamen nomine deceptus est: altero, quod felicitatem fortunæ dominatui subjecit; quum opes, & bonam valetudinem, quæ extra hominis facultatem posita sunt, ad beatitudinem requiri sensit: altero, quod eam felicitatem statuit, quæ in hac vita hominibus contingere minime potest. Cujus enim nisi Dei est, in hac vita omni angore & molestia

O 4

ca-

carere, & bonis omnibus circumfluere? Tertia fuit Solonis opinio, quæ propius ad veritatem accessit, quamvis ab Aristotele reprehendatur. Qui a Cræso opulentissimo, qui se beatum existimabat, interrogatus, quem nam beatissimum inter homines existimaret; tres insignes homines vita functos, qui & honeste vixissent, & cum laude occubuissent, protulit, quos beatos esse censuit. Neminus vero, qui in vita maneret, id concedi posse confirmavit.

„ Longo enim tempore, inquit ille, multa, quæ nolumus, adspicere & perpeti opus est: neque dies sequens idem omnino affert, quod attulit antecedens. Omnis igitur homo, o Cræse, est obnoxius calamitati. Tu mihi quidem opibus abundare, & multis nationibus imperare videris: illud tamen, quod a me quæsieras, numquam tibi tribuendum putabo, nisi prius audiero, te cum dignitate extremum spiritum edidisse. Nec enim ille, qui pluras divitias congestas habet, illo, qui in diem vivit, beatior esse potest; nisi eadem fortuna rem bene gerentem ad mortem usque sequatur. „ Hactenus Solon.

Cujus verba si diligenter perpendamus, intelligemus plane, ne illos quidem tres fuisse illius sententia beatos. Sed quum vir insigni sapientia clarus communes hominum miseras inspexisset, cum iis præclare actum esse existimavit, qui, antequam graviore clade aut ærumna præmerentur, a vita discessissent. Nec temere ista quidem Solon regi dixit. Quæ enim humanarum rerum varietas & inconstantia est, idem Cræsus, qui se beatissimum existimabat, amisso regno, ab illa sua felicitate dejectus, in potestatem venit regis Persarum. Qui etiam quum ad mortem damnatus esset, Solonis sententiam in mentem revocans, magna voce clamavit: o Solon, o Solon! Qua voce & conjectoris sui veritatem, & variantis fortunæ inconstantiam parum sibi ante cognitam professus est.

Ex his ergo satis liquere puto, felicitatem in hac vita desperandam esse, quando ea tota vel tentatio, vel militia esse dicatur: quod ea infinitis prope contentionibus, curis & laboribus plena sit. Quis enim est, cui data sit immunitas eorum malorum, quibus hanc vitam oppressam & afflictam videmus? Ecquis, inquam, est adeo

adeo liber & immunis, qui gravissimis interdum malis non urgeatur; vel saltem non extimescat eas clades, quibus vita beata, si modo illa beata appellanda est, corrumpi & amitti potest? Omnes enim mortales ista conditione nascuntur, ut magnam vitæ partem exigant in lacrimis & mæore, infinitis malis & calamitatibus implicati. Nec ex omni hominum memoria aliquis umquam inventus est, cui non multis partibus plura mala quam bona contigerint.

Liquet igitur ex his, philosophorum omnium conatus inanes irritosque fuisse: quandoquidem nemo eorum felicitatem hactenus, hoc est, humanæ vitæ finem, invenire potuerit. Errorum autem omnium causa existit, quod altissimum finem in hac vita quærebant, qui in altera quærendus erat. Fine autem ignorato, aut perperam constituto, quid in vita sancte & religiose geri potuit? In illos namque cadere illud potest, quod Thomas apostolus ad Dominum dixit: (a) *Domine, nescimus quo vadis: & quo modo possumus viam scire?* Ignorato enim fine, necesse erat, totam humanam philo-

sophiam atque sollertiam in cimmeriis tenebris versari, & incertis motibus temere fluctuare.

Quæ res firmissimo argumento Theologis fuit, ut non fide solum, sed ratione etiam colligerent, necessarium hominibus cælestis lumen, & revelatam veritatis scientiam fuisse, ut naturæ conditor, qui nulla in re, quæ modo sit ad vitam necessaria, deest, nobilissimæ creaturæ in re omnium maxime necessaria non deesset. Ad hoc igitur primum quidem prophetas, a Spiritu sancto eruditos, quo nos erudirent, misit. Nec his contentus, ipse prophetarum Dominus ad nos venire, & arcanum hoc per se docere dignatus est. Is igitur beatitudinem non in hac ærumnosa vita, quæ mors potius est dicenda, quam vita; sed in futura sperandam & quærendam esse, verbis & exemplis docuit: quod in sacre hujus lectionis fine ostendit, quum ait: *gaudete & exsultate, ecce enim merces vestra copiosa est in cælis.* In cælis ergo felicissima beatitudinis nostræ merces, non in terra, speranda est. Cujus rei causam sancti doctores infinitum animæ nostræ finem esse dicunt, qui,

nī-

(a) *Joan. 14. 5.*